

BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

1,260











493  
EVCHARISTICON

*Illustriſſimo ac Reuerendiſſ: Dño,*

D. M A R T I N O  
S Z Y S Z K O W S K I

EPISCOPO CRACOVIAN:

DVCI SEVERIEN:

Cancellario Academiae Crac:  
Ampliſſimo.

A SIMONE STAROWOLSCIO  
*factum dicatum*;

In primo Episcopatus sui ingressu.



CRACOVIAE,

In Officina Lazari, apud Matthiam Andreo-  
uensem. Anno D. 1617.



494



LVcida Phæbe ENSEM complexa vtrinq̃, TYARAS.  
 Hoc vtrumq̃, sacrum contegit atq̃ PEDVM  
 Scilicet hæc, quam dant Virtus & fortia facta,  
 Lucem SLYSCOVIO Relligione viget.  
 O Mystes Diuine magis, si SACRA tueri  
 Pergis, ab vtroq̃, hoc lux Tibi maior erit.

XIII - 1260 - III





I quis hodie in hoc florentissimo Poloniarum Regno, veteri & merita fama est, PRINCEPS Illustr: ac Reuerendiss. qui nō modo grauiſſima conſilia dando, verū etiam Religionem & Oracula Magni Dei ſapienter interpretando, communem Reipublicæ ſalutem atq; vtilitatem proſpiciat, eum ego Te cenſeo; & nō in Poloniâ noſtrâ ſolū, ſed Europa, inter eximios habeo. Scilicet per amplum exercendæ virtutis campum in Senatorio ordine adeptus, nunquam non cōrendis, quin in colendo Deo pietatem ſine fūco, in iure dicendo ſeueritatem ſine faſtu, in adeundis propria laboribus, & ſine faſtidio diligentiam, & ſine tarditate grauitatem obſerues. Fuit reuera in hoc penetrali pectoris Tibi, Heroicisq; virtutibus tuis flamma cultus deuota, eloquio aut ſtilo declarandi, ſed per nullam erumpendi occaſionem adhuc clauſa: nunc occulta Fati voluntate & beneficio recluſa. Maior & auſtior tuus honos, ac publicū ex eo omnium gaudium manum præbēt, & velut ſtimulo quodam ad benè ominata verba incitant, & quidem à duplici fonte: altero promptitudinis grāti animi mei pro benignitate, quam tu pariter in omnes, inſita manſuetudine morum, & adſueta quadam beneuolentia,



lentia, etiã in me in Aula tua seruitijs Generosi & Ma-  
 gni viri Ioannis Zernicij affinis tui additum, igno-  
 tum non ingratum sæpius contulisti, aded, vt iure o-  
 bligatum me Tibi fatear, nexu quem profiteri magis,  
 quàm soluere ego possim: altero, publici recentis  
 tui honoris, non absque singulari diuina prouidentia  
 Tibi delati, in communi gestientium ordinum læti-  
 tia, hoc ipso facto animi cultusq; mei in te pignore  
 perpetuo. Vtriusque sanè eximij exiguo. Sed quid  
 faciam? vt Vlysses ille apud Alcinoium, nihil habet  
 quod rependat pro ingentibus meritis præter vota &  
 grates: ita ego, quem cætera destituunt præter mu-  
 nera hæc mentis. Et verò quî non lubens hunc adfe-  
 ctum promam, aut gaudeam in bona sorte talis viri,  
 quem & dignitate, & stirpe, & animi ingenijq; doti-  
 bus, inter primos Regni nostri Principes viros esse  
 scio? & quem iam antè fama melior, imò & adspe-  
 ctus, notum in hac vrbe & orbis parte fecerant, vbi  
 & nomen & gloria tua viuunt, ac nobis in vita, dictis,  
 factis, probitatis, candoris & pietatis indices dant  
 notas. Cæteris etenim rebus, quæ sunt subiectæ for-  
 tunæ ludibrio, imperita solùm vulgi multitudo capi-  
 tur, illustres verò & liberaliter educati viri, honesta-  
 te, laude, & ijs virtutibus, quæ hominem supra vul-  
 gum tollunt, & nunquam visi, mirabiles sui amores,  
 in animis rectè institutis excitant. Mercedem me-  
 hercle virtutum suarum, & iure. Namq; velle esse in  
 gratia



gratia & fama (quæ iure est bonis ante bona omnia & ipsam vitam) hominum, homini est insitum, sed magis illustribus & magnis viris, qui vtramque suo merito habent, qualis Tu eximie SZYSCOVI inter primos. Non enim te fumosæ maiorum imagines, non inuidiosa diuitiarum magnitudo, nec eblanditæ Principum commendationes, magnum & rarum lumen in hoc Ecclesiæ candelabro collocârunt, sed illa ipsa VIRTUS, quæ te ab incunabulis susceptum, perpetuò est comitata, etsi propagatione naturæ, sanguinisq; à maioribus infusa, tamen magis honestis contentionibus, & multo sudore comparata. Addo singularem modestiam, eruditionem, addo & prudentiâ administrandi Publica, quæ Te in gratia Principum, in fama omnium ponunt. Rectè Petro Tylicio æternæ memoriæ Episcopo, ad meliorem vitam vocato, cum primum audiui te in locum illius susceptum, tanto gaudio sum affectus, quantum percipi aut cogitari maximum potest. quia cum te Ecclesiæ Antistitem video, quem non studio modò magno, verùm etiam animi contentione, ac propè dimicatione omnes boni exposcant. Rectè interioris meæ voluntatis cultum, quem à pluribus annis tacito quodam affectu, velut in Vestali secreto clausum seruabâ, hac occasione virtutibus tuis depromo. Et dum hoc ipsum studiosius paulò & vberius persequor, quæso obtestorq; te PRINCEPS Illustriss. vt me strictim attingere



tingere ea ac delibare patiaris, quæ toto Orbe Sarmatico, tota imò Europa de Te, tuisq; virtutibus, summa cum veneratione tui & cultu, iam pridem sparsa increbuerunt.

Et reuera PRINCEPS Illustriss: vtroq; isto radio *cultus* nimirum pariter ac *venerationis* te dignissimū argumento hoc duplici ostendo, quia & ipse ab ineunte ætate omni genere virtutum abundas, & prolixa beneficentia alienas excitas aut amas. Abundas sanè hac bellâ excelsarum virtutum trigâ. *Pietate*, *Prudentia*, *Iustitia*, sine quibus sacrorum Princeps Reipub. prodesse nihil, obesse plurimum potest. *Pietatem*, vt à cultu diuini Numinis principium ducam, non verbosam illam aut simulatam, quæ sine vitali operum succo, in fumum abit & vaporem, sed candidam illam, simplicem & cum agmine virtutum in pectus demissam, quæ sola omnium legum & Regum suprema est salus, talem esse quis neget? Vetus & nostrum æuum excute, non aliter leges, videbis, atque audies, quam pietate Heroâs fieri claros, & religione sincera Respub. florere; Hæc enim vera est Principum gloria, imperiorum confirmatio, populorum securitas, basis tranquillitatis publicæ, vitæ incrementum. Nam qui Princeps hac instructus, suarum omnium actionum, iudicem ac spectatorem Deum esse cogitat, nihil impiè, nihil indecorè facit; nec facile subditi lædent cui numen propitiū esse sciunt, amant

im

ò



inò , verentur , & eius ad exemplum vitam moreſq̄;  
 ſuos componunt. Felices fanè non ſolùm Principes,  
 ſed etiam ſubditi quibus hæc contingunt ! & apud  
 quos ſedem poſuit ſui regni hæc candida Diua ! cui  
 ſi duas pediſequas, aut verius filias addas, *morum vi-*  
*delicet grauitatem, & probitatem vitæ,* quaſi ſurculos  
 de ſua radice promanantes, quid pulchrius in rebus  
 mortalium erit ? quid viro talibus ornato decentius ?  
 & quid Principe in omniũ oculis excellentiũs ? Quæ  
 omnia P. A. amari à te ſcio, & in titulis laudum ſpe-  
 ctari. Quis etenim neſcit in eadem iſta, quam guber-  
 nandam ſuſcipis Eccleſia, te per plures annos inter  
 Collegas Canonicos, ſacra & religionem direxiſſe,  
 defendiſſe, propagariſſe ? Idque eâ curâ, indiſtriâ, &  
 quæ propria tua laus eſt, pietate : vt exemplum à ne-  
 mine accepiffe, poſteris tradidiſſe, ab æquis peritiſq̄;  
 arbitris iudicariſ. Et ſi arbitrio aut teſtimonio quid  
 opus ? res vociferatur, & Ruſſiæ ea pars confuſa antè  
 aut tenebroſa, ſtatim vbi tuum illud lumen affulſit,  
 mutata in melius, antiquam iam pietatem & felici-  
 tatem ſpondere ſibi eſt auſa. Erexiſti namq; animos  
 omnium, erecto Luceoriæ Patribus Societatis I E S V  
 Collegio, in quo iuuentus Roxolana reiectis errori-  
 bus gentis ſuæ, in ſpem reliquorum conuertendorũ,  
 tua liberalitate educatur : inieciſti ſpem fore, vt di-  
 ſcidij peſte ſublata, ſacroſanctum Ieſu Chriſti nomẽ,  
 eodem animo, eadem voce, iſdem ritibus ab omni-  
 bus in-



bus inuocetur, cum in barbara & superstitiosa illa  
 Russorum gente Seraphici Ordinis Religiosos, vineæ  
 Christi propagatores, introduxeris, foueris, amaris;  
 præcipuè verò Cremencij Conuentuales funditus  
 erexeris, & Brestij in Ducatu Lituanico Minoribus  
 de obseruantia, bona Aulae tuæ, in vsum & monaste-  
 rium concesseris, vbi nunc iam augustissimâ in hono-  
 rem Dei, Diuorumq; extructa Aedes, & populus ille  
 Cimmerijs olim inuolutus tenebris, agminatim ad  
 laudes magni Numinis decantâdas concurrit, vt He-  
 liotropium ad solem, mente & pectore versus ad De-  
 um, & diuina. Quid Principem, cruciatum mortisq;  
 Seruatoris nostri Christi Iesu Confraternitatem apud  
 te Auctorem sui memorem aut prædicem? quibus  
 encomijs, cumulum piæ largitionis, aut largum pie-  
 tatis ardorem persequar? quo accensus, illam cum  
 summo laudis Diuinæ acremento, hic Cracouia in  
 æde D. Patri Francisco dicata erexisti: piorum men-  
 tes ad altiore contemplationem iuscitâsti, & tibi  
 ipsi meritum aternitatis ac gloriam perennâtem pe-  
 peristi, quam

\_\_\_\_\_ *nec ventura silebunt*

*Lustra; nec ignota rapiet sub nube vetustas.*

Reuera non cum nostræ stirpis hominibus, sed cum  
 illis è primâ & purâ Ecclesiæ luce comparandus, mul-  
 tis & præponendus eâ videaris, quam nolo secunda  
 oratione diutius attollere, quia vt Poëta cecinit

*Eucati*



*Abnuat:*

& tua recens Sedes Plocen. ad se aduocat. Nam pariter nomen hoc tuæ pietatis carum apud se & clarum habet, quia post tot restauratas Ecclesias, exornata altaria, vasa, ædificia, domum insuper Ordini Societatis IESU, nobile eruditionis repositorium ad Cathedram tuam excitasti, & alibi in tua Diocesi fauore, ac beneficentia subleuasti, vt quemadmodum exemplo vitæ in domo Domini Clero prælucere non cessant, ita & in iuuentute formanda laborare non desistant. Sed & omnibus alijs *genuitate morum & probitate vitæ*, in rebus turbatis adfuiisti, illa venerabili, hac verò amabili, & vtraque ad mouendum, trahendum, per quam efficaci. Quarum illam appello venerationem aliorum animis insitam, & honoris ac reuerentiæ matrem, cui origo præcipua ab interna magnitudine, et si externa etiam species, gestus, cultus aliquid addunt: istam rectum & sine fuce virtutis amantem animum; quiq; ipsam propter ipsam, non commodum aut famam amat. Hac enim vtraq; sic vteris, vt in omnium pectora te insinues, & gratia impetres, quod nec imperio alius cogat. Neque ista in gloriam, aut gratiam. Deo ascribis soli: & amplissimum operis fructum censes *fecisse*, aut factis eduxisse tot ante viduatam pastoribus Masouiam, tot nunc iisdem diuitem, in sterilescentis illius soli opimitatem. lam



552  
sacra ipsa si intueamur, quis magis ea tutatus, orna-  
uit, diuitauit? quid referam virtutes reliquas? simi-  
le. quæ raræ in tantis, tantam tibi apud omnes au-  
thoritatem compararunt, vt neminem esse fateamur,  
quem Prouincia illa

*Rebus opima bonis, multâ munita virum vi,*  
magis reuerita sit, minus verita: & in quem duplici  
istto affectu rota feratur venerationis pariter & Amo-  
ris. Sed vtinam in his alijsq; virtutibus, plures tibi  
similes, qui dignitate similes! atq; vtinam Deus co-  
gitationes principantium ad publica proferat, vt Pa-  
triam consiliis, sacra beneficiis ornent atq; tueantur,  
& in multorum neglectu aut quiete, vigilem tecum  
manum oculosq; ad clauum porrigant. Sed hæc sileo  
& Pietati tuæ addo geminam quasi sobolem, *Probi-*  
*bitatem* videlicet & *modestiam* ex religione & Dei me-  
ru ortas, quas tu incessu moderato, vultu serio, voce  
& sermone sedato in apertum producis publicè &  
priuatim.

Addo quod ordo iubet & produco in vero suo  
vultu laudatam tuam *Prudentiam*, omnibus vt Philo-  
sophus ait cum magno illo Numine imperantibus  
propriam, quos vt imperij fastigio, ita & rerum cogni-  
tione alijs præstare pulchrum habetur. Et hæc non  
aliud est, quàm notitia rerum euentuumq; & iudici-  
um in ijs rectum, docēs cognoscere quid petendum  
fugiendumue sit, & quibus vijs tum ipse eo perueni-  
re, tum



548.

re, tum alios ducere commodissimè possis: contra absq; hac directrice, nec tibi rectè consulere, nec alijs præclaram operam nauare, sed vt nauis inter fluctus sine clauo, sic mentem & vitam sine prudentiæ gubernaculo habere iactatam, quam opinio, pertinacia, error semper comitentur. Omnia hæc procul à tua mente: omnia ex mentis & animi sententia: quia hanc Diuam tibi, hoc lumen frontis æuo, adhuc minus aut patienti, aut constanti comparasti, *natura, v-su, doctrina*: prouectiore, quod te plerisq; dotibus à *natura* ipsa docilem & virtuosum, per experientiam beavit, ita coluisti colisq; vt omnia quæ Themistocli olim à Græcis sunt tributa, verissimè in te deriuentur. Quis enim acutiore ingenio, acriore iudicio, exactiore diligentia, omnes sapientiæ literarumq; reconditos gradus, ita vt tu peruestigare potuit? quibus non prudentiam modo, sed ipsam sapientiam ita consecutus es, vt non solum sustinendo negotio quouis publico, sed etiam illustrando sufficias. *Vsum* verò in administrando, Xenophontis iudicio apprimè necessarium, atq; ex eo fructum Polonia vidit, audiuit, & etiamnum sentit. Nam cum inaudita quadam ante hoc tempus calamitate, nefariæ quædam & execrandæ de Rege, lege, & religione opiniones, quorundam animos occupassent, atq; ita intestino bellumultuantium, & proximis post annis Confœderatorum consilia, aduersus omnes recte sentientes, &



Patriam ipsam concitassent, vt eadem in domo, patria, gente, liberos à patribus, fratres à fratribus, amicos ab amicis, capitali odio dissidere videres; Tu tua prudentia audacibus restitisti, & cum mitibus leniter, ferocibus acriter, cum simplicibus apertè, cum versutis cautè & circumspectè egisti, & ciues non libertati solum reddidisti, sed sanitati. Norant siquidem omnes, eximium tuum in Patriam amorem, incredibilem rerum experientiam, integritatem, constantiam: norant te nunquam affectum in consilium admiscere, nec priuatis calculis publicas rationes subducere; sed id semper sentire, consulere, quod & lex religioq; iuberet, & quod Reip. vtile esset. Nec enim sidera illa profectò, magis ordinato & certo cursu incedunt, quàm tuæ actiones. Quibus tam excelsis, & raris, eam tibi apud omnes authoritatem peperisti, vt amplissimi Ordinis animum, tua sententia quocunq; velis inclines, adeò, vt cæteri à te dissentire erubescant, dicta q; tua velut Palladium aliquod Romani olim, aut sacrum depositum asseruent. Atque dum Regi Serenissimo alacrem & promptam operã præstas, publica munia, summa fide industriaq; tractas, vniuersa Respub. in tua fide, solertia, & prudentia conquiescit, illeq; idem Rex sapientissimus tuis maxime, & ex animo susceptis vigilijs, curis, laboribus, meritos confert honores, expertus quàm benè humeris tuis imperium federet. Etenim post amplã

Episco-



Episcopam Luceorien. integrè, ac religiosè cultam, & administratam, ad Plocensem ampliorem euectus, velut Hercules siue Atlas, Sarmaticum istud fulciebas coelum, & nobilitas patronum, plebs parentem, leges custodem, pietas vindicem visa est sibi amisisse, cum ad amplissimam Cracouiensem (quod felix faustumque sit toti Sarmatiæ: imò Christianæ Reipub.) nostro omnium gaudio, & bono transferis. O beatam, ô illustrem Poloniam! ô felicem tali, vt sic dicā sidere Cracouiam! quod non splendore generis solum, sed luce propria virtutum micat! & in quo Pietas Probitasq; domicilium sibi laremq; legit, fortunæ verò nihil iuris reliquit. Delectentur Principes & emulentur viuum exemplar virtutum, imaginem pietatis. Subit hic dolere, cum subit in mentē acerbam memoria temporum illorum, cum de auita religione (quam & palam loquimur & profitemur, inq; ea antiquare & cum maioribus sapere contendimus) in Polonia timeretur, cum de Regia Maiestate, aut potestate dubitaretur, cum de legum auctoritate passim disputaretur, cum deniq; tremefactis omnibus bonis, & optimo quoq; pessima omnia metuente, æstuantium huc illuc voces horribiles exaudirentur, ac vndiq; armorum fulgor, strepitus, terror, omnium oculos, aures, animos, perstringeret, obtunderet, consterneret, veluti fistulis diu interclusis aut interceptis, turbidior emissa aqua; Subit inquam dolore,



sed etiam lætari, quia huius ataxiæ, atque impietatis  
 sibilos, non alius quispiam, nisi tu Magne Præsul, ac  
 sacer Ordo vester singulari prudentia represistis, &  
 mirabiles summatum paroxismos, ciuium mutatio-  
 nes, bellorum motus, in Ecclesiam machinationes,  
 insidias, periuria, & vt verbo dicam, totius Regni hor-  
 rendam Metamorphosin, vestra industria consopistis,  
 atq; tentastis, vt omnia quam minimo damno com-  
 ponerentur, & vt facta tecta conseruaretur Catholica  
 Religio. Sed hæc Diua verbis parcè (quia supra plan-  
 tam, quod dicitur, non libuit euagari

————— *nec fuit vnquam*

*Omnibus in rebus gnarum vnum esse, atq; scientè*)  
 rebus ampliter mihi dicta, in te Illustriss. Præsul suc-  
 creuit, vel maximè ab illo fonte, cui indeflexa matu-  
 ritate contigit crescere, nunquam decrescere, id est  
*Doctrina* humaniorum literarum, & sapientiæ. Et iu-  
 re sanè. Hac enim bona in parte lumen prudentiæ  
 vndique in animum tuum illatum, vel ad virtutum  
 amorem, & pretium; vel ad notitiã cælestium & ter-  
 restriũ, è quibus magnitudo animi, & simul modestia  
 notitiãq; sui status oritur. At hæc ipsa vnde? ab au-  
 ribus, ab oculis, seu vt planius dicam, à *lectione, pere-*  
*grinatione, Doctore*: quibus tu cunctis non impigrè  
 vsus, in laboribus, sudoribus, ac periculis assiduis,  
 animum ad verum decus excoluisti, illiusq; feruidio-  
 ris adhuc adolescentiæ annos, mira mansuetudine,  
 & admi-



& admirabili temperantia, omnium cupiditatum ef-  
fecisti moderatorem. Succrescente verò æuo, tinctus  
domi humanioribus literis, in Italiam bonam ingeni-  
orum matrem concessisti, Platonis, Pythagoræ, De-  
mocriti, & aliorum sapientum mentem secutus, qui  
reliqta penu artium Græcia, non ad cultos solum, sed  
ad barbaros peregrinati, acri quodam cupidine dis-  
scendi, bibisti hiante ore abdita doctrinæ fontes,  
è sacris illis pectoribus, Pinelli, Piceni, Bencij, Costæi,  
& qui ea ætate in illo talibus stellato orbe florêre.  
Quid hæccine in Lyceo solùm? etiam domi, æuo  
& usu proeuctos perconctando, etiam in mensa, &  
post eam, quærendi de moribus, legibus, facie, cuius-  
que vrbis, addo & de Principibus, bellis, casibus, aut  
si quid euentuum magis insignè, sermonem, & eius  
consuetudinem habuisti, certus ex ijs Ciuilem illam  
prudentiam (cuius titulum & lauream publicè ade-  
ptus es) & latentium literarú gazas inferi tacita qua-  
dam vi & via. Quod ipsum etiam nunc, cum id iam  
æui sis, magis mirer quam prædicem. quî enim suffi-  
ciam? Tua sunt obsonia suauissima, cum doctis dis-  
ferere, cum prudentibus colloqui, de natura & mori-  
bus subditorum, de regimine & constitutionibus Im-  
periorum: nõ au diuq; in Philosophia, (vt hic Diuî-  
na relinquam, quibus Tu totus dicatus) & vtraque  
Themi Ciuili, ac Pontificia, vnde tibi illud Prudentiæ  
lumen, assiduus & accubus: vtenim herbas vel ar-  
bores



520  
bores crescere non cernimus sed creuisse, sic factam illam tibi potiùs, quam fieri. Atque hac tenui semita, non ad inanem scientiæ opinionem; sed ad veram & solidam eruditionem, atq; illa

*Edita doctrinâ sapientum templa serena*

peruenisti, & nauim semper auertens ab illis argutarum salebris, velificatione omnem direxisti, ad vnâ *Tranquillæ mentis portum*. Cæterum in huius excelsum arcem *Constantiam* in procellis nimbisq; Reipub. receptus, nullam difficultatem tam grauem sensisti, quàm non consilio & prudentia expediueris: nullum malum tam latens & occultum, quòd non ante præuideris, & ratione depuleris: nullum negocium tam arduum, quòd non forti pectore euiceris. Non illud tempus memoro, quo multorum capitum hydra in perniciem patriæ exorta, tuo reliquit; Senatus labore & cõsilio dissecta est, illaq; multum exoptata pax caelo demissa. O vere magnum, & vt verbo dicam indefessum tuum animum, qui vel hoc argumento valde virtutibus abundas, quod te nunquam iuuenem, voluptatum illecebræ à doctrina, virum officii grauitas à sacerdotio, senè popularis aura, à proposito Reip. tuendæ potuit dimouere: quinimo religionis integritatem, Magistratum potestatem, Principis maiestatem, Senatus auctoritatem, & Reipub. grauissima quæq; negotia, pietate summa complexus, virtutes magnificis, vitia detestaris, leges verò, iura patriæ,  
morem



morem maiorum ita tenes, vt paucos habeas similes,  
neminem parem. Eruditos autem, & excultos homi-  
nes literis, quis vnquam amauit ardentius? quis ex-  
cepit benignius? quis fouit largius aut prolixius?  
Horum disputationibus epulas tuas condire, eorū  
colloquia audire, Athænea exornare, erigere, & quod  
propria tibi virtus, iuuentutem prolixa beneuolētia,  
nunquam alere desistis. Et tamen iste ipse affectus,  
non aliunde ortum, nisi ab illo tuo in studia doctri-  
namque ducit: quæ vt dixi, inter paucos eximiè col-  
lis, & ea laus *Præcipuo* quodam titulo tibi debetur.  
Quicquid enim temporis ab Ecclesiasticis & publi-  
cis negotijs vacui habes, huc studiosissimè confers.

animus; vicissim

*Aut cunam impendit populus, aut otia Musis.*

Atq; vtinam plures tuæ classis ita sint animati! non  
verèar dicere omnia nobis, omnia regno feliciora fore.  
Veteres illos magnos Imperatores aut Reges si  
videam. tales fuere, Solones, Epaminondæ, Philippi,  
Philopœmeni, Tiberij, Antonij, Caroli, & quorum  
penè infinitus est numerus, tam è Græcis & Romanis:  
an non tales? His & nostri Sarmatici Orbis, vt ita di-  
cam Atlantem lubet inferere, & totum hoc agmen  
claudere, Diuum Iagellonem Vladislaum, qui augu-  
stissimæ huius Academiae Cracouen ( cuius tu An-  
tistes Illustriss. Cancellarius & caput ) primus in isto  
nostro axe limites aperuit, & omnem humanitatem,



aut potiùs benignitatem, iterumq; potius beneficentiam in literas, & hæc principem Philosophiam contulit. Et feliciter sanè. Ab his enim ferox ad id æui nostra natio & tota Martis, cultum ingeniorum & morum accepit, ac tantum profecit, vt humanitate & elegantia Asiaticis, militari disciplina Romanis, Religione Hebræis, Philosophia Græcis, Geometria Ægyptijs, Arithmetica Phænicib9, Astrologia Chaldæis, opificiorumq; varietate populis omnibus, si non superior, certè par omninò esse videatur. Atq; æuum hoc nostrum, ante centum circiter annos, cum cæpisset lucem hanc videre & rebus inferre, iterum nescio quo iniquo Poloniae fato suppressit, & dignissimas honestissimasq; artes ab aula, à nobilitate, à purpura, ad Scholas tantum & mediam pullatamq; turbam velut relegauit. Sed tu ô Princeps Illustriss. cogitationem te dignam suscipe, & vel Diuorum Antecessorum exemplo, paterna beneuolentia complectere Academiam nostram, & para tibi immortalitatem apud omnes literarum amantes, para gratiam, gloriamq; effice: & perfice, vt cæ artes, quæ in te tantum honoris & ornamentum contulerunt, ipsæ vicissim ornamentorum aliquid tibi se debere fateantur; præmuni inquam magis magisq; ad illa pura, æterna, alta, viam hisce tibi curis, & hoc sapientiæ linteo te aduersus liuidum illum dentem præcinge, vt naufragus Vlysses sub pectore vitta Leucothea. Sed quid

virgeo



vrgeo te vltro volentem. verbo rem dicam. Deus extare artes istas voluit, & hoc quoq; ab eo, quod vos iuuatis: & quemadmodum arbores frugibus grauidæ inclinant ramos & demittunt, & offerunt carpi: sic vos isti vera virtute vberes, & beniuoli & benefici vltro estis, inuitatisq; ad fruendum. Inuitate boni Principes & amate, oleumq; quibus opus est lucerna, pro meritis & iustitia infundite, vel istius ipsius Prudentiæ, cuius doctrina fons & origo, merito. simulq; *Iustitiæ* quæ tertia tuarum Heroicarum virtutum & dotium Diua.

Hanc Aegyptij sacerdotes, qui animalium cæterarumq; rerum figuris, tanquam literis quibusdam, in animi sui sensibus prodendis vtebantur, designare necessariam volentes, corpus virginali forma, sed cui caput ademptum esset, pingebant. Nec immerito. Nulla enim re magis Respub. floret, aut vnquam floruit, quàm rigidâ & immotâ iustitiâ; nullaq; magis flaccesit & deficit, quam illâ non tali. Et quis nescit scelera & flagitia per eam remoueri, virtutes promoueri. per eam agros, vias, maria securè frequentari, & vbique tranquillitatem regnare. Egregiè Bòétius, *Annum bonum, non tam magni fructibus, quam iuste principantibus, existimandum* censet. quod vt eueniat, optamus & cupimus Principibus eorumq; consiliariis ac iudicibus, hanc eximiam virtutem. Quid tibi Illustriss. Præsul? *validam & variam* in te eam inuenio,



uenio, & quantam in raro ex hoc ordine amplissimo.  
*Validam* ideo, quia

*Candidus Stalos à vertice purus ad imos.*

velut Numen salutare pro tribunali apud Illustriss.  
 Macieiouium Cancellarius sedisti, qui te a canorum  
 Regni, & sanctorum Ecclesiæ omnium consiliorum  
 participem, iudicem, consiliarium fecit. Graues hinc  
 feræq; curæ tuæ Eximiè Szyszkoui, in officio labo-  
 rioso, & addam inuidioso, & in quo non dicam gra-  
 tiam mereri, sed odium vitare difficile est. Hoc tamè  
 ita probè ac diligenter sustinuiti, vt industriam fi-  
 demq; tuam Amplissimo Cardinali probaueris, &  
 communiter omnibus integritatem, animumq; ab  
 omni labe aut corruptella immunem. Iasones namq;  
 hodie & Argonautæ multi, qui non ad Astræam, sed  
 ad Medeam, & auream pecudem nauigant, & quibus  
 in hoc studio vnum studium

*Verba dare, vt cautè possint, pugnare dolosè.*

*Insidias facere, vt si hostes sint omnibus omnes:*

nec fas vllum præ oculis habent, vt olim Ammianus  
 scænicè, sed verè & liberè tetigit, videlicet, plerique  
 tanquam avaritiæ venundati & vsucapti, nihil præter  
 insemnatam petendi licentiam norunt. Et si quem se-  
 mel intra retia ceperunt, cassibus mille impediunt, per  
 morbum, aut occupationum simulationem vicissim con-  
 sulte cessantes; vt q. peruulgati iuris lectio vna profera-  
 tur, septem vendibiles parant introitus dilationum, exa-



*mina longissima contaxentes.* Caterum tu tales incō-  
 cusso solidæ mētis robore, & summa iustitiæ tuæ lau-  
 de semper sedasti, quod ius, quod ratio, quod æqui-  
 tas dicit, cunctis præstitisti, & nullius autoritate per-  
 fringi, nullius gratiâ inflecti, nullius precibus per-  
 mulceri, nullius callidis persuasionibus expugnari  
 vnquam potuisti; adeò, vt faciliùs foret solem à suo  
 cursu reuocari, quam te ab incorrupta iudiciorum  
 religione dimoueri. Hinc nihil vnquam tale fuit, in  
 quo tu Reuerendissimi Cardinalis in te amorem nō  
 agnoueris, aut in quo ille tuam industriam & soler-  
 tiam non probauerit, & serenissimo Regi non com-  
 mendauerit, iusti & boni viri nomen velut alterius  
 Aristidis ingeminans: vt quem sola *pietas, prudentia,*  
*Iustitia;* vno verbo, virtus suis omnibus numeris ab-  
 soluta, Senatorio Ordini, adscribendum aptissimū,  
 & Hierarchicæ tranquillitati, aut constituendæ, aut  
 conseruandæ dignissimum cōmendaret. Nec quid-  
 quam moratus est Princeps sapientissimus. Nam in  
 bonis atq; asperis rebus ( quas ille supremus Sympo-  
 siarcha nobis & patriæ huic miscuit ) te constantem  
 conspicatus, ad Senatoriam dignitatem, dignitate  
 Episcopali insignitum euexit. Quam ita strenuè cum  
 omnium fauore, amore, applausu sustines, vt nemo  
 Sydlouecios, Hornostaios, Kmiras, Ociescios, Za-  
 moscios, addam & Sbigneos ac Radiuillos, decora  
 illa Regni amplius requirat. Non enim negotiorum



multitudine obrueris, varietate confunderis, magni-  
 tudine fatigaris : omnia alacriter aggredieris, fideli-  
 ter cxequeris, constanter conficis ; in opere & nego-  
 tio tam assiduus & candidus, vt labore refici, non  
 vinci molestia videaris, Senatoriamq; dignitatem, vt  
 quondam Theopompus Thelearchiam, tua integri-  
 tate clariorem, & tua iustitia *validiorem* reddas. Sed  
 quam *varia* illa, variè in tuo animo dictis, factis, re-  
 splendeat, nuda & aperta expositione percurram, &  
 velut de sacrificatis patera libabo, memor apud què  
 dicam : & quam breues sermones non solùm apud  
 Deum sæpe, sed apud Principes semper, grati deco-  
 riq; habeantur. Cum neq; in tam vberè materia pos-  
 se quempiam omnia persequi, neque ea quæ per se  
 satis splendida & magnifica sunt, ornatu verborum  
 ( qui mihi nullus est ) indigere videam; maximè au-  
 tem ne modestissimæ aures tuæ, quanquam verissi-  
 mis & omnium sermone celebratissimis, supra tamen  
 vulgaria positis laudibus offendantur. Et quanquam  
 optimã indolem, optimumq; virum, laudes & appro-  
 batio iuuant, tamen vt quisq; laude dignissimus est,  
 ita minimè libenter laudes suas audire consuevit.  
 Omnia verò Principis officia spectant & cernuntur,  
 vel in iure quo quisque rectè se habet in commuta-  
 tionibus suum cuiq; reddendo, vel in rectè distribu-  
 endo Magistratus, munera, honores, officia & bene-  
 ficia pro cuiusque dignitate & meritis. Vtrumque  
egre-



515

egregiè Poliphilus expressit, in circulo trutina depicta è gladio, cuius mucronem corona circumdat dependens cum hac subscriptione. IUSTITIA, EST, RECTA AMICITIA ET ODIQ EVAGINATA, ET NVDA ET PONDERATA LIBERALITAS, REGNV M FIRMITER SERVAT. Inde & Prisci Poëtæ, qui etiam Theologi sunt habiti, quum Principes officij admonere vellent, *Iouem* medium inter *Themis* & *Cætos*, in stellato folio, miro splendore quaquà versum coruscante sedentem finxere, cuius iussa *aquila*, sua armigera, & gestatrix fulminis, sceptrum flammis vndique euomens, principibus in manus porrigat: *Themis*, quæ iustitiæ, legis, & pacis mater habita est, ensem: *Cætos*, quæ nobis est potentia, aureum diadema. Nimirum tali inuolucro exprimunt, imperium & omnem superioritatem non nisi à Deo dari Principi, vt nihil agat, præter quod fas & iura permittunt, & ne ciuitates turribus ac mænibus coronam figurantes, vi aut armis opprimat, sed legibus & humanitate conseruet. Hæc omnia te præstitisse, illa verò vitasse

— *Obfidere dextro*

*Edite.*

& modo ac iudicio fecisse, quis est qui dubitet? Nā dum iudiciorum tuorum integritatem video, non possum grauitatem confessus tui domi, vel assessus in Curia literis assequi, quanta tibi facilitas in audiendo, quantum accumen in discernendo, quanta æqui-

tas in



tas in decernendo, quanta demum diligentia in exequendo adest. Profectò non subditis modo & tuæ Diœcesis Clero ius ipse omnium cum admiratione dicis, sed in Senatu etiam, in nullius magis quàm in tuam sententiam crebriora fiunt decreta atque iudicia. Quid dum dispensationem bonorum Ecclesiasticorum, & tuum regimen in tuis aspicio? omnia recta ratione (& Pultouia ipsa pro omnibus dicit) pulcherrimoq; ordine moderari suspicio, qui Cyri Perfarum Regis, & diuini Platonis consilio edoctus, non nisi temperantibus, incorruptis, atq; spectatæ integritatis hominibus, Parochias, Prælaturas, oppida & prædia, administranda distribuis; quiq; non de arcibus & fassis suis implendis perpetuò cogitent, aut cupidine pro virtute, furore pro consilio, & impetu pro ratione vtantur; sed qui tota vita nullam significationem auaritiæ dederint: sed qui omnem pecuniæ fructum in ornanda Ecclesia, in iuuanda Repub. in subleuandis egentibus positum duxerint, & quæ tuum ærarium spectant, ex æquo & integro restituerint, vel tui solius exemplo. Qui nihil antiquius in consueto habes, quam lapsis succurrere, iacentes erigere, errantes in viam ducere, sollicitos ad æquitatem animi hortari, mæstos solari, cadentibus manum supponere, periclitantibus salutem dare. Qui Patriam candidè amas, Principem reuerenter habes, & vtriusque maiestatem, amplitudinem, nomen, studio, officio, fide



fide sustentas. *Amas* dum cuncta Reipub. negotia,  
 plerumq; cum dispendio salutis tuæ non detrectas,  
 sumptibus ararij communis parcis, in peragendo re-  
 ctâ apertâq; via incedis. Quale illud illustre, probæ  
 mentis, promptæ voluntatis exemplum, dum pro Se-  
 renissima Regina in Austriam missus, apud Cæsaream  
 maiestatem, summâ cum fide legationem perageres,  
 & Polonorum celebritatem, proprijs sumptibus ma-  
 gnificè, honorificè, & grandicum apparatu seu ex-  
 pensa sustentares, dum Liuonicos ad Breste Confæ-  
 deratos milites, lautè exciperes, amanter dimitteres,  
 & in persoluendo tum illis tum Moscouiticis stipen-  
 dio, tuæ pecuniæ *adnumerando* non parceres. Vnde  
 non *Patriæ* Patris modò nomen, sed *Smilitum* con-  
 secutus, gloriam in tenebris istis rerum, quasi sidus ad  
 lucendum & dirigendum peperisti, quam edax illud  
 tempus non absumet. Et equidem rectè: debet enim  
 vir bonus & doctus (qualis tu publicis vocibus, &  
 omnium bonorum consensu, haberi & mereri) at-  
 que ad res gerendas multis virtutibus instructus ap-  
 petere, ut quam maximè pro sit mortalium generi, sci-  
 atq; se non sibi natum esse, sed amicis, patriæ, sub-  
 ditis, ac in primis Religioni. Quæ tam raræ virtutes  
 in summatis, nullam aliam requirunt laborum su-  
 orum mercedem, præter hanc laudis & gloriæ, quæ  
 eos ab omni labe ignominia & turpitudinis, seuat



incorruptos, vt fax assidua concussione ignem. *Re-  
uereris* autem, & verens ac mixto affectu amans, Prin-  
cipem tuum colis, dum illius animum ad pulchra &  
honestæ excitas, dum illius maiestatem, præ oculis ha-  
bes eiusq; amplitudinem vel suæ vitæ periculo defen-  
dis, dum deniq; eius contentiones ad metam publi-  
ci boni directas, libens lubensq; attollis & prouehis.  
Quis requirat fidem? Lex & statutum Regni, certum  
numerus optimatum, suis certis temporibus Principi  
ad latus esse, qui & morem maiorum in iudicijs ser-  
uent, & maiestatem Principis sua præsentia grauiorẽ  
ac splendidiorẽ efficiant. *Cessante enim* (ait Socra-  
tes) *admiracione opum & potentie, quæ plebjs animis  
hoc aspectu inseritur, vilis & contemptui facilis redditur  
Principatus.* Age verò, dignitatem aut maiestatem  
Principis quantopere augeas aut tuearis? experti su-  
mus infaultis illis & perturbatis temporibus, quibus  
homines, maioris animi quam consilij, Regem regno,  
regnum religione spoliare studuerunt, & quibus pu-  
blica salus, vno veluti appenderetur filo. Etenim con-  
scriptis ære proprio militibus, à partibus Regijs cum  
reliquis stetisti, nihil veritus pericula, quæ tibi tu-  
multuantium odio parabantur: imminentibus autẽ,  
nonne singulari prudentia, dexteritate, acumine ob-  
uiam iuisti? Nonne inhiantium præde militum ora,  
tua authoritate atq; adeò liberalitate represisti? No-



5 19

ne abundè, & vt aiunt plena manu adiuuisti, exhaustum Principis ærarium belli Moscouitici sumptibus. Scilicet vobis talibus scimus dignitati esse seruiendum, Reipub. consulendum, officij rationem, in omni vita esse ducendam. Sed quid in reliquis Reipub. impressis? Simile. Nota que sunt passim cætera tuæ laudis, & notiora multò, quia Patriæ & Principi charus. Hic namq; vt Iuno illa Homericæ, in concilium Deorum veniens, à nemine poculum nisi à Themide accepit: sic ille victor è Smolensco Varsauiam rediens, tuo inter omnes hospitio & officio vti voluit, splendide & magnificè Viskouix à te acceptus, vnà cum Serenissimis Principibus, Regina consorte sua augustissima, ac Eilijs inclytissimis, in ornamentum & regimen Regnorum succrescentibus: & inuictissimus *Triumphator* honorario sua Maiestate digno, velut olim Romani Consules venientes in Prouincijs, causa benè ominandi & gratificandi exceptus. Rem sanè dico: vt peritior & durior nauta, fluctus & malaciam Reipub. tranquilla mente ferre affuesti, nec ad singulas concussiones nauseas, & aegrescis, Robur hoc tibi animi magnitudo inseuit, & confirmat etiam dignitas, quia in alto isto positus vitam viuis in exemplum, dum omnia, quæ ad boni & inculpato Præsulis & Senatoris officium pertinent, summo studio facis. Et magis facies. scilicet enim hic



nouus honor tuus, aperuit Tibi ampliorem campū,  
in quo se tua virtus ad Ecclesiæ & Reipub. vtilitatem  
magis ac magis dilatare poterit. Sed ne

*Mergar in Eulogij naufragus amne tui.*  
cesso in laudes tuas Illustriss: ANTISTES, & raras in  
Principe dotes animo magis quam stillo prædico, ti-  
biq; suauem hunc cinnum virtutum, tenuioribus in-  
genij mei dotibus flexum, omnium oculis exhibeo,  
in hoc plausu communi & lætitia. Reuera enim qui  
non gaudeant, & gaudij mei hanc opellam tenuem  
non dem velut indicem. Virtus tua viuida, prom-  
ptitudo nostra alacris, hoc exposcit. Scilicet enim

————— *ibunt atq; redibunt*  
*Aurea secla*

nobis tecum Magnæ Præsul, qui propè in prima di-  
gnitate positus, ita fulges, vt ab ipso te, & animi in-  
genijq; dotibus præfulgeas, & maximam verissi-  
mamq; laudem, istis referas acceptam. *Prudentia*  
tua vel in ciuili, vel in sacra re administranda innotu-  
it, & iam nuper in Luceorienti & Plocensi Parætijs  
enituit: idem *Iustitia, pietas,* & veræ virtutis studi-  
um, quod à literarum etiam, & omnis seriæ doctri-  
næ cultu illustrato illustratur. Ex quo eam de te spem  
concepimus, vt neq; *Georgij Raduilli* admirabilem  
illam sanctimoniam vitæ, & excellentem animi, neq;  
*Bernardi Macieionij* effulam atque incredibilem &  
omni-



321

omnibus seculis depredicandã in omnes suauitatem  
ac beneficentiam, neq; inexplebile *Petri Tiliij* pro-  
pagandæ religionis studium desideremus. Quapro-  
pter Illustriss: & Reuerendiss: Præsul, bonis auspicijs  
ingredere in hanc Sedem solij tui, ingredereq; inquã,  
Numine dextro & sæliciter; Viue Deo, Reipub. Re-  
gi vtriq; tuo, nobisq; omnibus vel cultoribus, vel cli-  
entibus tuis, qui omnia fausta & prospera precamur  
tibi, votisq; & precibus ad Deum imus, vt te Ecclesie  
sux tutorem, & vindicem, velit diu superesse, & hãc  
Prouinciam, non minus benè beatèq; ac ille olim Di-  
uus STANISLAVS, cuius Sedibus inauguraris,  
administrare, VOVEMVS ET AC-  
CLAMAMVS.









